

Vergil's Aeneid II.496-525

Nōn sic, aggeribus ruptis cum spūmeus amnis
exiit oppositāsque ēvicit gurgite mōlēs,
fertur in arva furēns cumulō campōsque per omnēs
cum stabulis armenta trahit. Vīdī ipse furentem
caede Neoptoleum geminōsque in līmine Atrīdās, 500
vīdī Hecubam centumque nurūs Priamumque per ārās
sanguine foedantem quōs ipse sacrāverat ignēs.
Quinquāgintā illī thalamī, spēs tanta nepōtum,
barbaricō postēs aurō spoliīsque superbī
prōcubuēre; tenent Danaī quā dēficit ignis. 505
Forsitan et Priamī fuerint quae fāta requīrās.
Urbis utī captae cāsum convulsaque vīdit
līmina tēctōrum et medium in penetrālibus hostem,
arma diū senior dēsuēta trementibus aevō
circumdat nēquiquam umerīs et inūtile ferrum 510
cingitur, ac dēnsōs fertur moritūrus in hostēs.
aedibus in mediīs nūdōque sub aetheris axe
ingēns āra fuit iūxtāque veterrima laurus
incumbēns ārae atque umbrā complexa Penātēs.
Hīc Hecuba et nātae nēquiquam altāria circum, 515
praecipitēs ātrā ceu tempestāte columbae,
condēnsae et dīvum amplexae simulācra sedēbant.
Ipsū autem sūmptīs Priamum iuvenālibus armīs
ut vīdit, ‘quae mēns tam dīra, miserrime coniūnx,
impulit hīs cingī tēlīs? aut quō ruis?’ inquit. 520
‘Nōn tālī auxiliō nec dēfēnsōribus istīs
tempus eget; nōn, sī ipse meus nunc adforet Hector.
Hūc tandem concēde; haec āra tuēbitur omnēs,
aut moriēre simul.’ Sic ōre effāta recēpit
ad sēsē et sacrā longaeuum in sēde locāvit.” 525